DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, 11

DE

RHEUMATISMO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

RICARDUS VAUGHAN,

ANGLUS,

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXII.

JACOBO VAUGHAN, M. D.

AMICO SUO VENUSTO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. C Q.

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO.

DEFINITIO.

"RHEUMATISMUS morbus eſt, ab externa et plerumque evidente cauſa, pyrexia, dolor circa articulos muſculorum tractum ſequens, genua et reliquos majores potius quam pedum et manuum articulos infeſtante *."

E duabus, quibus hic morbus conſtat, ſpeciebus, ea, quam modo definivimus,

A phlogiſtica

* Culleni Syn. Method. Gen.

phlogiſtica vel acuta nominanda, ut ab altera, quae vulgo longa ſeu chronica nuncupatur, diſtinguatur. Eadem e phlegmaſiarum numero eſt.

HISTORIA.

Rheumatiſmus, de quo agitur, doloribus articulos ſolos plerumque, aliquando etiam partes muſculares, adficientibus, diſtinguitur. Iidem, ut in definitione dictum, ſaepe muſculorum tractum inter articulos perferuntur; ſemperque articuli unius aut plurium muſculis agentibus adaugentur. Majores, qui potiſſimum adfici ſolent, articuli, ſunt, ſummum femur aut genua, humerusve aut cubitus, tali quoque carpique haud raro, rariſſime digitorum infra eos articuli corripiuntur.

Saepe una tantum pars corporis ſedes morbi eſt. Quo in caſu, pyrexia obſcurior

eſſe

eſſe aut deeſſe poteſt. Saepius plures ſimul loci laborant. Quod ubi fit, morbus cum acceſſione frigoris, ſequentibus caeteris pyrexiae ſymptomatibus; maximeque crebris, plenis, et duris arteriarum pulſibus, incipit. Eſt ubi uno die, biduo, vel etiam triduo, pyrexia dolores praecedit, quae ſaepius tamen coeptos eos ſequitur.

Cum paulo vehementior pyrexia eſt, ut uno tantum articulo dolores contineri poſſunt; ita longe ſaepius; iidem plures articulos ſaepe ſimul obſident, ſaepius ſedes mutant, et ab aliis ad alios articulos commigrant.

Pyrexia hujus morbi omni veſpere exaſperatur, perque noctem cum doloribus augetur, quos etiam cubilis calor auget.

Sudor quoque, circa morbi principia, raro libere, raro cum judicatione, aut ſymptomatum levamine, dimanat.

Urina,

Urina, incipiente morbo, ſedementi expers, progrediente rubeſcit, jamque provecta multum pyrexia, et paulo majores remiſſiones recipiente, ſedimentum lateritium ad imum vas dejicit.

Sanguis vena emiſſus cruſtam coreaceam albam oſtendit. Poſtquam dolor aliquandiu moratus eſt, tandem aliquantum tumoris et rubedinis articulos dolentes cum doloris plerumque levamine occupat, quod utique raro funditus dolorem tollit, aut reditum ejus prohibet.

Inflammatio rheumatiſmi comes in ſuppurationem raro, quod a reliquis hanc phlegmaſiis diſtinguit, deſinit. Eſt ubi humor tralucens gelatinoſus in tendinum thecas ſuffunditur. Qui, ſi frequentior eſſe credendus eſt, reſorbeatur, quia tumor raro permanens hinc exoritur, neceſſe eſt.

Morbus his ſymptomatibus procedens raro ultra quatuordecim aut viginti dies pyrexiam

rexiam extendit; doloreſque, ſi ii forte ſuperſtites ſint, mitiores et ſede magis contenti eſſe ſolent.

CAUSÆ REMOTÆ.

Frigus, magis cum calore alternans, viceſque mutans, potentiſſima rheumatiſmi cauſa excitans eſt. Hinc, in frigidis locis et temporibus, quam calidioribus, longe frequentior morbus eſt. Hinc quoque ver aut autumnus, in frigidioribus orbis regionibus, ad rheumatiſmum concitandum maxime valent. Verum, ſi caloris et frigoris vices crebrae fuerint, quolibet anni tempore morbus prodiret; plerumque rheumatiſmus acutus a corporis alicunde calentis refrigeratione, aut ab una parte, dum caeterae calere perſtant, refrigerata, aut a diuturna frigoris applicatione, ut ubi humida veſti corporis aliqua pars induitur, exoritur.

Ad

Ad cauſarum remotarum rationem porro pertinet aegrotantium hoc morbo aetas; qui, licet quamlibet aetatem adgredi poſſit, rarius tamen, aut ineunte aut multum jam provecta vita, incedit, inter pubertatem et vitae meridiem, ſcilicet trigeſimum quintum aetatis annum, praecipue graſſans; eodemque ſpectat quod de conſtitutione corporis dicendum eſt. Nam, ut quemvis habitum, quodvis temperamentum, hic morbus corripere poteſt, ita plenus habitus, ſanguineumque temperamentum, haud paulo obnoxiora ei, caeteris ſunt.

DIAGNOSIS.

Rheumatiſmus acutus a podagra haud difficilis diſcretu eſt. In illo, dolores et inflammatio majores, jamque relatos articulos, in hac minores, ſupra exceptos, et longe ſaepiſſime pollicem pedis, aut inferiorem tali partem, exercent. Ille, eo vitae, quod

quod dictum, tempore incidit, haec non niſi eo praeterito incipit. Sanguineum temperamentum, et plenus habitus, illum diſtinguit; in hac, habitus minus quam ante plenus eſt, et temperamentum cholericum reliquis magis nocet. Incipiens quo tempore rheumatiſmus acutus deſinit, podagra ad vitae finem ingraveſcit; ſed haec aetas rheumatiſmum raro recipit. Alia diſcrimina addere poſſem; haec autem ad diagnoſin formandam ſufficient.

Rheumatiſmus acutus his notis a chronico diſtinguendus eſt, hi limites ſtatuendi ſunt. Cum chronicus plerumque ab acuto exoriatur, quo certius quando ille jam curſum peregerit, hic tantum inchoet, intelligatur. Ubi dolores locum mutare perſtant, ubi nocte maxime ſaeviunt, ubi pyrexiae aliquid comitans habent, ubi aliquid tumoris, ruboris aliquid, adhuc ſupereſt, pro acuto rheumatiſmus habendus. Contra, ubi nulla jam pyrexia eſt, ubi articuli ſine rubedine dolent, ubi frigent, ubi rigent, ibique

que ſudor, qui in reliquo forte corpore calet, ſpiſſus friget, doloreſque frigore creſcunt, calore levantur, tum demum chronicus rheumatiſmus incepiſſe judicandus.

Rheumatiſmus chronicus omnes articulos, quos acutus ſolet, ſaepe occupat; ſed eos maxime qui multis muſculis inſtructi ſunt, quorumque muſculi inconſtantiſſimis et graviſſimis conatibus exercentur, adfectat. Haſce res habet in lumborum vertebris, cum eo morbo, qui lumbago dicitur, laborant, aut in ſummi femoris articulo, cujus adfectus rheumaticus iſchias aut ſciatica nominatur.

Contentiones membrorum vehementes, ſpaſmive ex ſubitis et gravioribus conatibus orti, adfectus rheumaticos, qui primo acuti, cito in chronicum morbum degenerant, ſaepe creant. Hujuſmodi lumbago, et alii adfectus, ut torticolis aut obſtipitas catarrhalis apud Sauvageſium, quorum ſedes muſculi eſſe videntur, et pleuritis ſpuria,

et

et pleurodyne plethorica et rheumatica ſunt.

Diagnoſin Rheumatiſmi acuti a conſimilibus in ſyphilitide et ſcorbuto doloribus facilem peragent dolorum utrobique ſedes, et ſymptomata his morbis propria.

CAUSA PROXIMA.

Peculiaris quaedam acrimonia in ſanguine rheumatiſmum facere credita eſt; quam opinionem cauſarum remotarum, ſymptomatum, et curationis ratio refellit. Quid enim rei cum frigoris et caloris vicibus acrimoniae commune eſt? Quomodo haec acrimonia alia loca prae reliquis adficere, et non communiter corpus contaminare, poteſt? Quomodo ſanguinis, quomodo aliorum humorum detractio, ad acrimoniam e parte auferendam, quae tantum communem humorum copiam adficiunt, pertinere

 judicanda?

judicanda? Ob has et ſimiles rationes, acrimoniae in hoc morbo opinio apud plerosque medicos jamdudum rejecta eſt. Qua rejecta, nuper aliquis exortus eſt, qui quorundam rheumatiſmi caſuum, nempe iſchiadis, cauſam, acrimoniam nervis admotam eſſe putavit. Is Colunnius eſt, medicus Italus, ad quam utique rationem repudiendam, pariter ac alteram jam rejectam, cauſae remotae, ſymptomata, et curatio pertinent. Adfectum tamen naturae rheumaticae ab acri materia nervis admota fieri poſſe, dentium dolor, qui vitium rheumaticum eſt, et dentis carie pendens, oſtendit.

Cum in ſuppurationem rariſſime quivis caſus rheumaticus deſinat, licet nonnulli dolores rheumaticos referentes ab altius ſitis ſuppurationibus exoriuntur, ut ex quibuſdam caſibus a tali cauſa pendentibus, quae ſymptomatum facie lumbaginem vel iſchiadem ſimulant, novimus. Eos tamen

a

a ſuppuratione pendentes caſus, a lumbagine et iſchiade diſtingui poſſe, contendimus *. Illuſtris Cullenus, longo ſuo ſalutiferae artis uſu, contra Storckii teſtimonium, aut ſuppurationem, aut collectum quemvis humorum, inciſione, qua corruptae materiae exitus daretur, egentem, in ullo caſu vere rheumatico vidiſſe ſe demonſtrat.

Lentor ſanguinis, qui a multis pro cauſa proxima rheumatiſmi acuti habitus eſt, aeque ac acrimonia a verae cauſae natura diſtat, ut argumenta contra acrimoniam adlata ſatis ſuperque evincunt. Aliquis hodie, expers doloris et omnis pyrexiae rheumaticae, bene ſeſe omnibus rebus habens, cras in rheumatiſmum poſt caloris et frigoris vices ei admotas incidit. Quo modo vel toto corpore, vel in partibus dolentibus, ſanguis, cujus craſis ſecundae valetudini priore die convenerat, poſtero ſic inſpiſſari credendus? Et quo modo, ſi inſpiſſaretur, ſanguinis detractio, quae aeque omnes

* Firſt Lines, Vol. 1. ſect. ccccxxvi.

omnes partes ejus abſtrahit, et alvi purgatio, ſudorque, quae, tenuem partem auferendo, reliquam etiam ſpiſſiorem relinquere judicanda eſt, prorſus tamen contrarium effectum edere exiſtimanda? Cum igitur a vera morbi cauſa lentor rejiciendus ſit, ad eam, quae nobis rationi conſentanea apparet, eſt progrediendum.

Praecipua remota cauſa, frigus, articulos, qui partibus mediis minus tela cellulari teguntur, potentius adficit. Ita autem adficit, ut extrema conſtringat vaſa. Haec conſtringendo perſpirabilem humorem intus detinet. Detinendo vaſa interiora et majora ad cor uſque repleat, et eo uſque diatheſin phlogiſticam, ſeu tonum contrahendive potentiam, amplificet. Poſtremo, cor ipſum, omnes arterias alias ſimili adfectu moveat. Hinc per omnia vaſa ſanguinis tandem impetus ſummopere augetur. Hic impetus cor et arterias ubique, ſed maxime in conſtrictis extremis partium dolentium vaſcula, diſtendit. Diſtenſio autem ad vehemen-

tiores

tiores et celeriores contractiones concitat, et, quia contractiones pariter cum contractilitate ſeu tono adauctae, pro ratione diminutos vaſorum diametros ponunt, hinc ſanguinis libero motui ipſi, huic impetui, obſtabitur. Ex hoc igitur inflammatio et inſeparabilis ejus comes, dolor, in partibus maxime laborantibus, moleſtiaque illa, quae diatheſis phlogiſtica vulgo nominatur, ubique corporis, ubi vaſa ſunt, excitabuntur. Hic ſtatus toto corpore obtinens pyrexia eſt, a vi medicatrice adaucta, cui pyrexiae incipienti propria frigoris acceſſio eſt. Vis medicatrix ad impetum ſanguinis augendum pertinet. Hanc frigoris acceſſio ſuſtentat, ſpaſmuſque formatus pyrexiam et diatheſin phlogiſticam toto corpore etiam in majus attollit amplificatque.

Cauſa rheumatiſmi ſic tradita, inflammationibus ab aucto ſanguinis in arterias partis laborantis, et frigori patentis, impetu pendentibus prorſus adfinis eſt; utque cauſa ſic cum reliquarum phlegmaſiarum cauſis

exae-

exaequatur, ſic ad rheumatiſmi propriam aliquid, eam proprietatem pariens, inſuper accedit. Id peculiaris quidam muſcularium fibrarum adfectus eſt, nempe, ut videtur earundem rigor, quo minus facile motum tolerant, eoque omni dolent. Idem hic adfectus eſſe videtur, qui ab articulis ad alios doloribus dimittendis occaſionem dat. Hi autem dolores in extremis muſculorum in articulos terminatis, eo maxime ſaeviunt, quod ultra illos oſcillationes non producuntur. Eadem explicatio, quomodo nervorum contentiones, ſpaſmique adfecfectus rheumaticos creent, illuſtrare pertinet.

PROGNOSIS.

Nunquam fere exitialis rheumatiſmus acutus eſt; et, quamvis inter pubertatem et trigeſimum quintum annum vigere periclitetur, adhibita tamen idonea curatione, facile integrae ab omni parte valetudinis intervalla longa recipit, ſaepe poſt unam vel

alteram

alteram acceſſionem non omnino repetit. Quia tamen omni aetate omnique in temperamento habituque, ubi cauſae remotae ſatis validae admotae ſunt, morbus apparet; ideo, ut hae caveantur, ſummopere contendendum eſt.

CURATIO.

Quoniam inflammatorius partis adfectus et toto corpore diatheſis phlogiſtica rheumatiſmo acuto ſubſunt, ex eo corporis ſtatu curandi ratio, quam experientia confirmavit, petenda eſt. Conſilium medendi eſt, inflammationi, ubiubi occurrit, et diatheſi phlogiſticae toto corpore mederi. Auxilia ſunt adminiſtratio antiphlogiſtica, ſanguinis detractio, alvi purgatio, provecto morbo, fomenta, et aliqua ex parte rubefacientia, aliqua ex parte veſicatoria, et ſudor.

Quo

Quod ad adminiſtrationem antiphlogiſticam attinet, omni carne et carnea materia, omni fermentata aut ſpirituoſa potione abſtinendum; pro quibus, cibus mitis e genere plantarum petitus, et potio blanda diluenſque, libere ſunt utenda.

Sanguinis detractio potentiſſimum et praecipuum adverſus rheumatiſmum auxilium eſt. Detractio larga eſſe debet, iterarique, pro pulſuum crebritate, plenitudine, et duritie, et doloris magnitudine. Talis detractio ſaltem primis diebus ut neceſſaria eſt, eamque neceſſitatem cum uſus confirmaverit, ita aliquis ei finis ſtatuendus. Galli nimium, alii non ſatis ſanguinis, demunt. Nimia detractio eo vitanda eſt, quod valetudinis reditum tardat, et acutum rheumatiſmum in chronicum vertere, et alia mala cachectica parere, periclitatur.

Ad vitandam, quam communis detractio parit, debilitatem, inſtans ſymptoma, dolor, ſaepe locali detractione leniri, tollique poteſt;

ſtet, eoque certius ſi jam tumoris et rubedinis aliquid parti ſupervenerit. Verum, quia morbi mora magis a communi adfectu, phlogiſtica nempe totius corporis diatheſi, quam partium quovis ſtatu, pendet, ita localem detractionem pro communi minime adhibere licet.

Ad eandem diatheſin phlogiſticam ſolvendam, alvi, per medicamenta totum corpus non ſtimulantia, purgatio convenit. Talia ſales neutri ſunt, qui virtute refrigerante praediti ſunt. Cum autem alvi purgatio non tam potens ad diatheſin phlogiſticam ſolvendam quam ſanguinis detractio ſit, crebraque purgatio, ubi jam communis morbus factus ſaevit, incommodi aliquid vel etiam detrimenti motu crebriore, et dolore inde oriente, inferat, ideo modus hujus remedii eſſe debet.

Extrinſecus corpori impoſita potius exaſperant quam ſublevant morbum. Sic fomenta, minus rubefacientia, et camphora

 nocent.

nocent. Sed et haec nihil fere aliud faciunt niſi ut doloris mutent ſidem. Veſicatoria, quæ ad partis dolorem efficacia ſunt, nihil fere, niſi ubi hic parte fixus continetur, proſunt.

Auxilia relata aliquando ſublevant, aliquando morbum licet tollunt, eſt tamen ubi deficientia curationem imperfectam relinquunt. Cumque profuſus ſanguis multa pariat, ut ſupra dictum eſt, incommoda, efficaciſſima hujus morbi curatio eſt, poſt aliquot communes, ad tollendam, ſaltem imminuendam, diatheſin phlogiſticam, detractiones, ad ſudorem decurrere.

Is autem ſudor ſine inflammationis ſtimulantibus remediis, et cum quam minimo calore externo, et quam minimi proprio corporis aucto excitandus. Excitatus, ut minimum, duodecim horas, rectius duplum, aliquando, re exigente, quadruplum id temporis, niſi ſtimulans interveniat effectus, eſt ſervandus. Aliquandiu, et quoad aegro-

tans

tans ſufficere poterit, ſomnus, ne ſudor ſubſidat, avertendus. Denique, quo tutior haec adminiſtratio ſit, cum modica alvi purgatione ſudor conjungendus. Poſtremo, ne frigore, ad ſummum corpus forte adſpirante, compeſcatur, cavendum.

Auxilia, quibus hoc efficitur, ſunt balneum, aut artuum inferiorum fotus, crebra tepida potio, praecipue aqua addito aromatico gratior, et vini pauxillo potentior, reddita, ſales neutri, ſed quod efficaciſſimum ſimul et tutiſſimum erit, magna opii cum ſalium neutrorum aliquanto emeticoque doſis. Hic ſolus opii in hoc et pleriſque phlogiſticis morbis innocuus uſus, utpote quod, niſi ubi ita dirigitur, ut ſomnum pariat, in iis omnibus noxae notae et confeſſae ſit.

Ad illuſtrandam porro acuti rheumatiſmi naturam, haud inutile erit, pauca de chronici cauſa et curatione ſupra relatis adjicere.

Quod

Quod ad cauſam proximam attinet, rheumatiſmi chronici ſymptomata ad cauſam ejus proximam in partis vaſorum ſanguiferorum pariter et fibrarum muſcularium atonia, unaque cum hac, in tali harum rigore et contractione, qualia eas aliunde atonicas adficiunt, collocandam ducunt.

Ex hac cauſa proxima, conſilium medendi, quod requiritur, eſt, principii in parte laborante vitalis vim et vigorem reſtituere.

Cui conſilio reſpondentia remedia ſunt externa et interna.

Externa ſunt, partem dolentem, veſte lanea eam tegente, calefacere, calefactae externo calore, ſive ſicco ſive humido, calorem adaugere; fricatione, electricitate per ſcintillas aut percuſſus, oleis eſſentialibus, quam calidiſſimis et volatilibus maxime, humore ſalſo, poſtremo exercitatione quantum ei ferendae pars laborans idonea ſit,

aut

aut ſuper equo, aut aliis geſtationis modis, excitare.

Interna ſunt, oleorum eſſentialium a reſinoſis corporibus ſumptorum largus uſus, ea in quibus haec inſunt olea, ut guaiacum, ſales alkalini volatiles; eadem aut alia ſomno conciliando habilia, poſtremo calomelanus, aut alia Mercurii praeparata, exiguis doſibus et diutius continuata.

Si haec cauſae et curationis rheumatiſmi chronici cum acuti ſupra relatis ratio comparetur, quam diverſi hi adfectus ſint, eoſque diverſas prorſus ſpecies eſſe, luce clarius adparebit.

Per totum hoc opuſculum immortalis Culleni veſtigia ſecutus ſum. Quem, in ſuum proprium et commune humanum commodum, Deus optimus maximus diu ſervet, et mortalibus aegris proprium donum tueatur, foveat alatque.

F I N I S.